



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sermones de Sa[n]ctis Hyemales, Estiuales, De  
festiuitatibus Jesu christi, Beate virginis et alior[um]  
Sanctor[um] ... Venera[n]di patris, fratris Nicolai deniise  
Ordinis Minor[um] de obseruantia ...**

**Denisse, Nicolas**

**[Augsburg], 1510**

**VD16 N 1513**

Secunda est consideratio localis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30625**

# De admiranda humilitate Fo. XVI.

esse sentiebat: sed et filium dei.

Sequitur secunda contemplatio de admiranda humilitate

**S**ecunda est contemplatio admirande humilitatis. Ubi contemplari debemus profundissimam humilitatem christi domini nascentis. Potest autem maxime apparere huiusmodi humilitas per tres considerationes.

Prima est consideratio temporalis.

Secunda est consideratio localis.

Tertia est consideratio modalis.

**P**rima est consideratio temporalis. quia videlicet frigidissimo tempore scilicet hyberno et nocturno et eo tunc quando longissima erat nox: et in frigidissima noctis hora: quando scilicet sol est maxime elongatus a nobis scilicet media nocte nasci. et sic iam incepit pati pro nobis. Sap. xvij. vel. xix. Dum medium silentium tenerent omnia: et nox in suo cursu medium iter agebat: omnipotens sermo tuus a regibus sedibus venit. Bernardus. Nascitur deus in cuius arbitrio erat quodcumque vellet eligere tempus. elegit quod molestius est propter paruulum et pauperis matris filio que vir pannos haberet ad inuolendum. Hec ille. In hac etiam consideratione temporalis hoc considerandum est quod tempore pacis nasci voluit: quod et eius humilitati attestatur. Hoc enim factum est ut per hoc inueneret quia ipse princeps pacis pacem et humilitate diligens. Ps. Quiescit in diebus eius iustitia et abundantia pacis. Legitur enim in historia scholastica quod Octavianus quadraginta duobus annis regnavit: et in duodecimo anno ante mortem suam fecit tantam pacem in omnibus regionibus romano imperio subiectis quod ad litteram videtur tunc impletum fuisse quod dicitur Esa. ij. Constabunt gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces Et ibidem. Non leuabit gens contra gentem gladium. Unde Beda ait. Nascitur in carne dei filius sicut de virgine natus virginis deus ostendit sibi esse gratissimum: sic pacatissimo seculi tempore conserat. quia pacem querere docuit: et pacis

sectatores per gratiam suam inuolare dignatur.

Secunda est localis consideratio.

Ubi primo considerandum est quia in via nasci voluit: ut ostenderet quia vita presens non nisi quedam via est. Dial. Aduena et pegrinus sum apud te. Hebr. vlt. Non habemus hanc civitatem manentem sed futuram inquirimus. Quanta eorum fatuitas qui cum tanta sollicitudine materialia domos super terram edificant: de illa celesti domo et mansione perpetua parum solliciti. Item quia nasci voluit in civitate parua. scilicet in bethleem: quod ad eam huius militiam pertinet. Leo papa sermone de esiphani. Christus qui serui formam suscepit: bethleem pelegit natiuitati: hierosolymam passioni. Item considerandum quia nasci voluit in presepio siue in spelunca. Bernar. Vide qualiter pro te natus est celorum rex: ubi aula regia: ubi throni sublimitas presepio est. Hieron. ad marcellam. Duo sermone: qua voce speluncam tibi saluatoris exponam: et illud presepio in quo infantulus vaggit: quod silentio magis intimo quam sermone honorandum est. Idem. Ecce in hoc paruo terre foramine celorum conditor natus est. hic inuolutus pannis: hic demonstratus a stella: hic adoratus a magis. Idem ad Eustochium. Ille cuius pugillo mundus concluditur presepio continet angustis. Hec ille. In hoc igitur arguitur superbia mundanorum qui de edificiorum magnificentia gloriantur.

Tertia est modalis consideratio.

Ubi considerare debemus modum sub quo pro nobis natus est filius dei. quia videlicet in forma serui paruuli pauperissimi. In forma inquam serui. Phil. ij. Semetipsum extinuit formam serui accipiens. In forma paruuli. Esa. ix. Paruulus datus est nobis. In forma pauperissimi. quia reclinator fuit super fenum in presepio et pannis. scilicet vilibus inuolutus. Et sicut dicit Hieron. aduersus eluidium. Nulla omnino obstetrix: nulla mulierum sedulitas intercessit. Ipsa virgo pannis inuoluta infantem: ipsa sola mater et obstetrix fuit